1124 apparebat, Tyrios ea ſpe confirmatos longe obſtinatius ſua mœnia defenſuros: &, quod magis periculoſum erat, cura animum inceſſerat, ne inviti etiam cum potentiſſimo hoſte cogerentur acie dimicare. Commenti itaque dicuntur rem non ineptam, ut ſubdititiæ literæ pro Damaſcenis columbæ pedibus necterentur, quibus Tyriis ſignificabatur, non eſſe cur a Dachine auxilium ullum diutius ſperarent: prudenter eos proinde facturos, quando in eo loco res eſſent, ut deditionem omnino fieri oporteret, ſi tempori, cujus ratio in primis habenda eſſet, ceſſiſſent, ſibique & fortunis ſuis matura deditione conſulerent. His literis, quia columba ubi primum dimiſſa eſt, in urbem venit, publice recitatis, victa Tyriorum pertinacia, quinto obſidionis menſe deditio facta eſt. Scio ego non defuturos, qui pro fabula ſint hæc, quæ de columba ſcripſimus, audituri: alienum rati a natura, atque propterea valde procul a fide, volucrem ullam in remotiſſimas terras deportatam in priſtinos nidos perpetuo volatu redire. Sed ita ſane res ſe habet: quod ipſum experientia quoque eſt ſæpe cognitum; nam & veteres Romanos avibus ad hoc ipſum uſos, multorum teſtimonio conſtat. Plinius columbam ait Mutinenſi obſidione literas in caſtra attuliſse: Fabium Romanor[illegible]nalium ſcriptorem, & Cecinnam Volaterranum, [illegible]dinibus quandoque ad id uſos reperio. Sed conce[illegible]ulu, illud non minus mirandum, quod vehementi cla[illegible]e ſubito ſublato, aves ſuperne volantes concidant: qu[illegible] Iſthmiorum, ut ſæpe alias, conventu, quum Græciæ antiqua libertas T. Flamini auſpiciis reſtituta eſt, accidiſse memoriæ quidam prodiderunt. Plutarchus, homo excellentis doctrinæ, cauſam illius violenti caſus eſse exiſtimavit, aeris ſciſſionem: quod quum vox permagna editur, aer vi disjunctus nullam volantibus relinquat firmitatem: ſed quum idcirco lubricus factus ſit, aves perinde ac ad inane pervenerint, delabantur: aut certe clamoris ictu, tanquam ſagitta quadam, ſauciæ aves concidant. Poteſt, quod idem auctor affirmat, eſse quidam aeris velut pelagi vortex, qui aves ipſas violento quodam turbine actas ad terram deprimat. Igitur deditione a Tyriis facta, in turribus & locis emi-

Deditio Tyri.

nen-